Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 605
Quelle:
Copyright:

Initium: *Homo. Anima mea in anguſtiis eſt ſpiritus meus eſtuat* &c. *Fol.* 136. p. 2. *Incipit Liber Secundus.* Diviſus eſt hic in multas *Rubricas*, quae non reſpondent titulis *Edit. cit.* et non raro iis pleniores ſunt. Finis: *Tu mihi ſupra uitam meam places.*

XVI. *fol.* 150. p. 2. manus Seculi XIII. adſcripſit *Decreta Hungarorum, quę a Guidone cardinali* (S. Laurent. in Lucina a. 1267.) *ſuſceperunt.* Edidit ea ex hoc *Cod. Lambecius* L. II. p. 68. unde in *Collectiones Concc. Harduini, Coletii* et *Peterſii* profecta *Kollarius* demum T. I. *Analect. Vindob. col.* 21. repraeſentavit. Sacerdotum Coelibatum maxime ſpectant.

CXCVI. *VI. H. 29.*

667 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 79. 4. nitidiſſime ſcriptus in *Italia*, Literis initiorum deauratis picturatisque decorus, quondam emtus et poſſeſſus a *Barth. Ghiſilardo*, ut bis notatur, dein a *Joh. Sambuco* complectitur ſequentia: I. *Magni baſilij ceſareę capadocię ſanctiſſimi archiepiſcopi ad inſtituendos adoleſcentes in lectione poetarum cęterorumque antiquorum ſcriptorum libellus Vnicus et pulcherrimus incipit.* Sed praecedit: *Leonardi Aretini eloquentiſſimi uiri in traductione magni Baſilij prefatio ad colutium.* Hoc initio: *Ego tibi hunc librum coluti ex media: ut aiunt: grœcia delegi.* &c. Opuſculum ipſum infit: *Multa ſunt filij: que hortantur me ad ea uobis conſulenda* &c. Inſcribitur illud lingua *Baſilii:* Πρὸς τὸς Νέους, ὁπος ἂν ἐξ Ἑλληνικων ὠφελοιντο λογων. et extat edit. *Opp. Maur. Pariſ.* 1722. T. II. p. 173. f. De Interprete *Leonardo Bruno Aretino* inter Literarum in *Italia* reſtauratores claro, qui an. 1444. vivendo adtigit, poſt *Laur. Mehus, Apoſt. Zenum* et *J. M. Mazzuchellium* egregie more ſuo pertractat *Hier. Tiraboſcus* Hiſt. lit. Ital. T. VI. P. II. L. 3. p. 33. ubi et *Colutii Salutati* meminit, quo Praeceptore *Leonardus* in eloquentia latina *Florentiae* faventiſſimo uſus fuerit. Verſionem porro noſtram utiliſſimi Libelli prima ſtatim Prela multiplicare coeperunt adeo, ut mihi licuerit in *Supplementis Maittairii* hoc anno 1789. vulgatis plures Editiones ejus *Annalibus* addere, interque ceteras nemini hactenus memoratam *Budenſem* typis *Andr. Heſs* circa 1473. 4. proditam, quam nunc Bibliotheca noſtra Palatina recepit.

II. *fol.* 17. *Alexandri macedonis. Hannibalis Karthaginenſis Scipionis africani maioris trium ſummorum ducum de artis imperatorię preſidentia contentio apud inferos ſub minoe Judice ex lutiano auctore grœco per dominum Johannem Auriſpam in latinum de grœco conuerſa Feliciter incipit.* Initium: Alexander. *Me o libice preponi decet. melior equidem ſum.* Hanni. *Immo uero me.* &c. Eſt hic inter *Luciani Samoſat.* Scriptoris Sec. II. notiſſimi Διαλογὸς νεκρικὸς